



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CLXIV. Ioannis Papae VIII. Ad Bosonem Comitem. De incolumi eius prosperitate gratulatur. se tum eum, tum Angelbergam imperatricem caros habere ostendit. rogat vt Adelberto & illius coniugi ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CLXIV.
IOANNIS PAPÆ VIII.
AD BOSONEM COMITEM.

De incolumi eius prosperitate gratulatur. se tum eum, tum Angelbergam imperatricem caros habere ostendit. rogat vt Adelberto & illius coniugi Rotildæ bona, quæ in Prouincia possederant, retinere permittat.

Dilecto filio Bosoni glorioso principi.

QVIA literis nobilitatis vestræ relectis vos incolumes cum optata prosperitate vigere didicimus, plurimum sumus lati effecti: nam in vestræ dilectionis amore apostolica semper cupimus benignitate manere deuoti, & ea quæ vobis vtilia, vel proficua esse videntur, alacri dumtaxat mente perficere, nec pro aliquo homine vestram nobis dilectam amicitiam relinquamus: sed pio potius intuitu in omnibus conseruare illam. De parte autem spiritalis filia nostræ Angelbergæ imperatricis carissimæ matris vestræ pro certo scitote, quoniam paterno eam affectu semper dileximus, & quamdiu, auxiliante Domino, vixerimus, diligere nostroque apostolico subsidio adiuuare, tuerique magnopere desideramus: nec non & quasi carissimam & spiritalem filiam gloriosius retinere. Porro de vestræ voluntatis actione, quam dicitis exhibere, nos sine dubio in vestra amicitia constantes habebitis. De parte quoque Adelberti gloriosi marchionis, seu Rotildæ comitissæ coniugis eius, cognoscat nobilitas vestra, quod vobis in omnibus fideles, & deuotos amicos eos esse cognoscimus: ideo rogamus, vt eorum comitata in Prouincia posita, sicut iam tempore longo tenuerunt, ita deinceps pro nostro amore securiter habeant. Optamus gloriam vestram nunc & semper in Christo manere perpetuam. Data vt supra.